

Zc
7802



A.K. 262, 18.

702

UNIVERSITÄTS-
UND LANDESBIBLIOTHEK
SACHSEN-ANHALT

1



7—
ORATIO PARENTALIS
De
Vita, rebus gestis, ac beatissimo
obitu

Magni illius Theologi
DN. GEORGII MYLII,
DOCTORIS AC PROFESSORIS
Academiae VVitebergensis Prima-
rij: Ecclesiae verò Pastoris &
Superintendentis Ge-
neralis.


RECITATA VVITEBERGÆ
cum ab Ordinibus Reip. literaria, in
luctu justissimo,
Collegæ & amico desideratissimo
parentaretur.

Autore

LEONHARTO HUTTERO,
SS. Theologiae Doctore, & Pro-
fessore publico.



VVITEBERGÆ




Typis Cratonianis: Sumptibus Zachariae Schüreri, Bibliopolæ:
ANNO GRATIÆ M.DC. VII.

ORATIO PARENTALIS
D.
Vinc. rebus gelis, ac hereditario
D. GEORGI MULLER
DOCTORIS AC PROFESSORIS



LEONHARDT HUTTEN
22. Theologiae Doctor, & Pro-
fessor publicus



WITTEBERGA

Typis Canonici: Superius: Zachariae Scherer, Bibliopola:
ANNO GRATIAE MDCCLII



RECTOR ACADEMIÆ VVITE-
BERGENSIS
BARTHOLOMÆUS REUS-
NERVS J. U. D. ET PRO-
fessor publicus.



ANNI iam quatuor sunt, Cives Acade-
mici, cum totidem Theologos amisimus: nec
illos é multis, sed tales, qui Ecclesiam CHRIS-
TI ministerio Lutheri reformatam suis quasi
humeris portare videbantur: *Ægidium Hun-
nium, Salomonem Gesnerum, Davidem Rungi-
um*; & qui hunc diem in ærore & luctu infecit, GEORGIVM
MYLIVM. Res sané militantis Ecclesiæ in hoc extremo
conflictu ad hos cę Triarios rediisse visa est: nunc ab his etiam
deserta, dum ordine omnes ex sua statione summus Imperator
evocavit: si annos numeramus, intra eum ætatis modum
omnes, quo vita & virtus de palma vigoris quasi certabant: ne-
mo enim eorum sexagesimum annum exegit: unus nec quin-
quagesimum, tertius ne quadragesimum quidem. MYLIVS
noster reliquos vivacitate supergressus, nono & quinquagesi-
mo anno vita hac egressus est. De quo etsi aliàs dicendi lo-
cus fortè dabitur, tamen hęc etiam in tran scursu quædam attin-
gemus: unde videre sit, quàm mirabiles & planè singulares for-
tunæ (ita vocabimus in sano illo & sobrio sensu) periodos ex-
pertus fuerit. Natus is est Augustæ Vindelicorum patre
VVolfgango, Cive ibidem & fabro lignario. *Magnorum flu-
minum navigabiles fontes sunt. Generosioris arboris statim planta
cum fructu est,* auctore Fabio vetus Poeta dixit. Hoc de in-
genio MYLII nostri profectò poterat. Penè enim puer, vel
certè admodum adolescens, ita bonas literas domi addidicit, ut
alios easdem docere privata Pædagogi opera potuerit. quod
bono suo experta est Heinzeliarum familia patriciætu ibidem
A 2 nobilis.

nobilis. Relicta Augustâ Argentinam concessit: inde Tu-
bingam: inde porrò Marpurgum. Atque hîc demùm pri-
ma ordinis & famæ suæ fundamenta jacere visus est. Ex hac
enim schola in patriam revocatus est, & Ordini sacro initiatus,
inter Ministros Ecclesiæ locum inibi tenuit extremum: idq;
factum anno Christiano clò Io LXXII. Septennio pòst, nempe
pe Anno Christi M. D. LXXIX. S. Theologiæ Doct̃or, post
solennia experimenta, in Academia Tubingensi, promotore
Iacobo Heerbrando, publicè renunciatur: quo factò, statim
Pastor ad *divæ Annæ* declaratur; atque octo menses pòst Super-
intendens etiam Ministerij generalis & Rector (ut vocant) si-
mul Collegij. In sublimi illo, & quod eventus docuit, pericu-
loso munere, cum spiritu & zelo armatus divino abominatio-
nes Babylonicæ meretricis detestaretur, & gregem Domini
suæ fidei commissum docendo & ducendo à Pontificum rabie
vindicare niteretur, ecce tibi cælum & terram conturbare ad-
versarijs dictus: concurritur, de capite & sanguine ipsius fiunt
comitia; opprimitur; abripitur: in medio tamen periculo divini-
tùs adseritur & liberatur. Quæ quidem historia argu-
mentum insigni tragœdiæ sufficere poterat: & nota ea est toti
propè Europæo Orbi, quâ nomen Christianum inclaruit: neque
hoc loco repetenda. Anno clò Io LXXXIV. die XXIV.
Maij, Dominica *Vocem Iucunditatis*, ultimam Augustæ conci-
onem habuit. Cùm enim contra novitios istius temporis & Ca-
lendarij corruptores magno atque invicto animo Festum Ad-
scensionis Domini ad proximum Iovis diem more Ecclesiæ
tot sæculis usitato celebrandum publicè indixisset, mox die in-
sequenti, hoc est, XXV. Maij, domo & Vrbe exturbatur. Furo-
ri hostium ereptus Ulmam Imperij civitatem concessit, quam
ille Patrum suum vocare solitus est. Per id tempus à multis
magnisq; certatim expetebatur. Suum esse volebant Argento-
ratenses; suum Brunsvicenses; suum etiam AVGVSTVS verè
augustus Elector Saxonix: qui etiam voti sui præ cæteris com-
pos, eum huic Academiae Professore, Cancellarium, & Præ-
positum templi arcis constituit, anno Christi clò Io LXXXV.
Mense

Mense Majo. Nec ille nimis diu in hac etiam specula & arce quasi Sioniâ durare potuit. Nam sub extremum anni, clo. 15. LXXXVII. Ienam vocatus primarium Facultatis Theologicæ locum auctoritate Principali occupavit. Atque ut fluxus & refluxus rerum humanarum est, inde iterum à Serenissimo nostro Electore excitus Pastor & Superintendens Ecclesiæ factus & in antiquum locum & dignitatem apud nos in Schola solennibus ceremonijs restitutus est, anno clo loc III. Mense Novembri.

Atque hæc insigniores suas migrationes ipse celebravit in *Oratione auspicali*, quam Ienæ habuit die X. Februarij, anno M. D. LXXXIX. earumq; primam (intelligite Augustanam) nominavit *Violentam*, alteram *Arbitrariam*, tertiam *Necessariam*. quartæ ad nostros, ipse nullum nomen dedit: quintæ & ultimæ nos dabimus, & jure optimo meritoq; *Votivam beatamq;* nominabimus: quæ quidem ut nobis omnibus, suo cuique tempore, uti votiva certè est, sic & beata sit, D. E. V. M. serîo veneramur. Porro labores ipsius, studia, certamina, mores, ingenium, animi magnitudo, & quæ privata rei sunt domesticaq; , alibi atque ab alijs, uti spes est, accuratiùs fufusq; dicentur. Tanta enim rerum varietas hîc dici nec debet nec potest. Cùm proximo Ascensionis die ultimam concionem (quam & ante annos viginti tres Augustæ ultimam indixerat) hîc habuisset, & altero die post ordinariam in schola lectionem continuasset, aliquot dieularum ferias ab Auditorio petijt: sibi enim, ita re urgente, aliquò excurrendum esse: à reditu ad operas etiam suas rediturum. Heu quam *nesciamens hominum fati sortisq; futura est!* Nam ille quidem nusquam excurrit: sed calculo renum domi attentus lecto afigitur: accedit febris maligna, quæ intra paucos dies efficit, ut ille vitâ excedat: eo ipso die, nempe XXVIII. Maij, quo conjux ejusdem prior, violento mariti sui raptu exterrita (atque in ipso partu) extinguitur. **IV** Reverâ autem, quod diximus, vitâ hac excedit nolter **M Y L I V S**, non eripitur. Vt enim conviva satur è mensa se subducit, aut ut Viator, qui

qui molestias itineris per æstum Solis varias gravesq; exhaustis, se quieti sine strepitu componit: ita hic noster, postquam importunæ hujus vitæ jam satur, & tot peregrinationum & laborum molestijs fatigatus, in cellam suam (ut Scriptura loquitur) se abscondit, & vitam hanc non-vitam placidissimo motu & sine omni querela exsuiit & relinquit, idq; ad horam nonam ante meridiem.

NVNC in eo occupata est omnis opera nostra, ut tam præstantis animæ exuvias condigno etiam sepulturæ officio cohonestemus. Cùm autem præcipuum honoris hujus funerarij ornamentum ab jis proficisci videatur, quos magnus ille olim noster **MYLIVS** aut Collegas, aut discipulos, aut amicos habuit: significamus vobis singulis ac universis, tempus eundis exequiis destinatum esse horam diei hujus **SECUNDAM**. Et hoc unum vobis intimasse arbitramur pro re nata sufficere: quippe qui sciamus, Merita hujus Viri talia ac tanta esse, ut amorem pariter & honorem omnium vestrùm prolixè meruerit. Ita ut minimè monèdi sitis officij vestri, quod paratissimi frequentissimiq; tanto Collegæ, tanto Præceptoris, tantoq; Amico offerre ultrò certabitis. Et nescio ego quidem quo meo fato acciderit, ut hoc officium indicandi funeris **MYLIANI** mihi potius quam ulli alij hac tempestate commendari debuerit. Sanè anni jam quinque sunt, cùm noster **MYLIVS** tunc temporis eidem scholæ Rector, Agnato meo **NICOLAOREUS NERO** Ienæ, ubi uterq; inter se conjunctissimè vixerunt, idem officium auctoritate publicâ exhibuit. Utinam ego hîc in alio quovis argumento illum pietatis affectum promereri contrâ potuissem! sed nempe in hoc debui. Ite igitur, ite, Cives Academici: **MYLII** heu quondam nostri exsuvias, carissimum juxtâ & pretiosissimum depositum, terræ matri reddite, nobis restituendum, cùm magnus ille & gloriosus **CHRISTILIESU** reditus nobis omnia & nos omnibus tandem restituet. P. P. Dominicâ Trinitatis, anno Christiano **M. DC. VII.**

RECTOR

RECTOR ET CONSILIUM
ACADEMIÆ VVITEBER-
gensis civibus Academiæ.

S. S.

MENSES QUINQUE SUNT, ET QUOD
excurrit, cum fato suo functus est GEORGI-
US MYLIVS Augustanus, inter Theologos
nostri sæculi verè augustus. Nos quidem
vel hoc exemplo verum esse experti sumus,
quod dici consuevit, *TUM deniq; homines no-
stra intelligimus bona, Cum quæ in potestate habuimus, ea amisimus.*
Amisimus certè in uno MYLIO summam boni Christiani multò
maximam. Ingredieris templum & concionem? ibi è suggestu
desideras clangorem illum buccinæ, quâ aures animosq; audito-
rum tanquam tonitru vocis divinæ percellerat MYLIVS. Scho-
lam? gravissimum Professore; animosissimum Disputatorem
desideras. Senatum? plenum prudentiæ & fidelitatis, adde & fe-
licitatis Consiliarium. Cujusmodi in civili conversatione fue-
rit, ne attingamus hîc quidem, ut tanti viri minora, & quæ cum
alijs fortè communia habuit, quantumvis & ijs, ut veremur,
paucioribus. Dolebunt nobiscum, & casum hunc miserabuntur
domi forisq; omnes ij, qui Rempub. Christianam inconcussam
& salvam cupiunt; quiq; mortuum etiam meritâ laude & me-
moriâ dignabuntur. Operosius id quidem & peculiari destina-
tione facturus est ad diem Iovis proximum horâ NONA, Re-
verendus & Clarissimus Theologus noster LEONHARDVS
HVTTERVS: ille, inquam, quo nemo nostrum poterit melius:
quippe qui virum illum, dum in humanis ageret, à multis annis
penitissimè novit, ut qui & secretiora ipsius propius introspe-
xit, quæ alij quasi per transennam atq; ex intervallo. Plenissi-
mum hoc pietatis & gratitudinis argumentum est. *Laudemus,*
inquit Ecclesiasticus, viros illustres, & quibus prognati sumus (se-
mine

mine Verbi & spiritus DEI) patres nostri. Dominus per hos
magnam gloriam acquisivit jam inde à seculo magnificentia sua. In
regnis suis principatum obtinuerunt prudentia ingenij sui excellen-
tes, qui oracula divina annunciarunt. Qui populum consilio rexe-
runt, eaq; intelligentia, quae literis erudita ad rectionem populi
plurimum valet, quorum sapientes sermones in eorum doctrina ha-
biti sunt.

Hoc monitum, hoc exemplum, hunc spiritum
repraesentabit HV T T E R V S noster. Vos, quotquot
estis, quibus haec talia curae & cordi sunt (omnibus autem esse
debent) ad tempus dictum in Auditorio majori convenite.

Non dubium est, vos in praecone Mylij, linguam &
spiritum Mylij inventuros. P. P. die

25. Octobris, Anno Christiano

1607. CVII.



ORATIO

I.
ORATIO
PARENTALIS,

De
Vita, rebus gestis, & morte
GEORGII MYLII.&c.

SIC CINE ergò hoc unum restabat ad-
flictis & penè prostratis Academia
nostra rebus, ut MYLIUS, MYLIUS
ille noster, qui vel unus in spem fœlici-
tatis diuturnioris, honorum quorumvis animos
erigere, & ceu alter Atlas penè collapsa Ecclesia
& Scholæ nostræ fundamina, humeris suis fulcire
ac sustinere videbatur, non prematurâ quidem,
sed, ut hominum more loquar, inopportuna tamen
& acerbâ satis morte abriperetur? ô vanas homi-
num spes! ô consilia fallacia! ô ludibria infœlicis mi-
seræq; vitæ, quæ cum in manibus habere arbitra-
mur: cum iisdem frui nos posse diutissimè, spera-
mus: derepentè a volant, & in medio quasi fœlici-
tatis cursu nos deserunt inhiantes. Lachrymis
adhuc vestri madere oculi. planctibus & gemitibus
Cathedra hæc personare: ipsi parietes querelis
& lamentationibus illis adhuc mihi calere viden-

B

tur

tur, quas in triplicato illo Academia nostra lu-
 ctu publico, proximo hoc quadriennio in funere
 HUNNII, GESNERI, RUNGII, ex hoc
 ipso loco fusas sparsasq; esse meministis. Abstulit
 illos eheu! avara mors: at quos viros? Summâ pi-
 etate, fide, meritis in Rempubl. Christianam
 maximos: at quo tempore? alienissimo, quo vi-
 delicet ipsorum opera nobis, ah quid dico nobis?
 universo potius Christiano orbi, cum primis futu-
 ra erat usui. O durum & acerbum religionis
 Christianae fatum! ô miserum & luctuosum Ec-
 clesiae DEI casum! Non licet aut fas est, Au-
 ditores, hoc quidem tempore, in merita laudesq;
 tantorum virorum, latius excurrere: alius enim
 & temporis & laboris haec fuit cura & occupatio:
 unum tamen illud sicco pede ne praeteream, ipsa pi-
 etate prohibeor: quòd viventibus tribus istis Ec-
 clesiae luminibus, Collegis quondam meis deside-
 ratissimis, verè fœlix ac florens Academia nostra
 fuit facies: quòd sub quadruplicato illo Collegij no-
 stri Theologici jugo, utraq; & Academia & Ecclē-
 sia Cathedra rectissimè habuit: quòd deniq; tanta
 animorum conjunctio, sententiarum volunta-
 tumq; consensio inter Collegas Theologos tum vi-
 guit, quanta hoc quidem in mundo, vix in mor-
 tales

tales cadere posse: Et quantum non dico sperare, sed ne quidem optare amplius, fas esse videtur. Vulnera ex prepropera (humano si standum sit calculo) istorum morte Reipublica Christiana ferè letifera inflictu, nondum coalescere, nedum cicatrices obducere ceperunt: Et ecce tibi novam cladē, eamq̄, tergeminaam: Unam ex beato MYLII obitu, ordini nostro sacro: alteram eamq̄, duplicatam ex prematura morte JOHANNIS ZANGERI, Et LUDOVICI PERSON, Actorum, quā prudentiam, quā experientiam præclarissimorum, politico ordini illatam: utramque profectō Reipublica Christiana Et luctuosam Et ominosam. Equidem ingenuè fateor, crebris istis Et verè fatalibus rerum nostrarum mutationibus, me ita affici, ita commoveri, ita omnem animi ardorem, quo me sub luctu isto non nihil erigere queam, tanquam flumine quodam obrui Et extingui: ut quid dicam, quò me vertam, unde ordiar, ubi desinam, vehementer ambigam. Ex abundantia tamen cordis os id loquitur, quod ex sacratissimo Psalmodum codice habet: Anima mea turbata est valdè: At tu DOMINE usque quò? Siccinè in luctu Et squalore perpetuo anni isti nobis exigendi erunt: Quem eundem perturbationis affectum, vos

singulos & universos, animo mecum concepisse,
 nullatenus dubito: ita ut portenti simile dicere
 ausim, si quem in tanto luctu à dolore vacuum
 viderem. Tu ipse Serenissime Elector CHRIS-
 TIANE, cujus & in prosperis rebus spectata est
 moderatio, & in adversis animi magnitudo, in
 tantone luctu dolorem & gemitus cohibere potes?
 Ah qui posses? cum cor illud alterum inclyti Ele-
 ctoratus Saxonici, Academiam hanc puto UVi-
 tebergensem ob oculos tibi constituis: & presens
 ejus fatum ad pristinam illam gloriam & digni-
 tatem obiter saltem & perfunctorie quasi appen-
 dis, quàm tantum alias inter caput extulit urbes,
 Quantum lenta solent inter viburna cupressi. Sta-
 tuit hæc prius, cum immortalis nominis sui famam,
 plurima præclarissima Trophæa: & triumphum
 quasi egit de quibusvis Evangelicæ puritatis ho-
 stibus: sed ecce jam suis spoliata Antesignanis, sub-
 sannationes & sarcasmos eorum audire cogitur
 satis virulentos: prius terrori fuit hæreticis: nunc
 fabula eorum & ludibrium facta est: prius in por-
 tu satis tranquillo laborum cursum tenuit longè
 optatissimum: nunc in ipso portu jacet miserè fra-
 cta, disjecta, dilacerata. Certè hoc misero & fer-
 mè conclamato tempore non commoveri, non lu-
 gere.

gere, non ingemiscere, belluina cujusdam, & plus
quàm Scythica aut ferina foret immanitatis. Pro-
indè quin mecum lugeatis, quin ploretis, quin la-
mentemini, non prohibeo: imò ut hoc studiosè faci-
atis, sedulo admoneo. Et si enim malè ominari no-
lo, ea tamen imminere videntur tempora, quæ gra-
vissimas, utinam ne Patria nostra exitiosas mu-
tationes haud dubiè allatura sunt. Verùm si mo-
dus est in reb. si certi deniq, fines sunt: modus utiqvè
luctui etiam huic nostro statuendus fuerit: modus
nimirum ille, qui in divini Numinis nutu ac vo-
luntate placidè acquiescit: qui veniam delicto-
rum pœnitenti corde expetit: qui deniqvè pœna-
rum mitigationem à DEO Opt. Max. humili-
ter deprecatur. Est quidem DEUS, judex se-
verus: id quod magno nostro damno experimur:
sed est & Pater misericors: etiam cùm ulciscitur,
beneficus est: etiam cùm pœnas exigit, misericors
est: Ipse propitiis oculis respiciet fluctuantem Eccle-
siae naviculam: & scissuras ejus ita sanabit, ne
prorsus rimas agat, & tota fatiscat & dispereat:
Ipse, ut cum Davide loquar, imposuit quidem
cervicibus nostris jugum hoc satis durum & acer-
bum: sed capita inimicorum suorum conteret citò.
Quare non est, viri Jesuitæ, & vos reliqui, qui
nostro

nostro hoc cluctu exultatis, ut vos omni periculo jam liberatos, omni metu expeditos, omni curâ solutos arbitremini. Extincti quidem sunt illi, quorum auctoritas & industria vesanum furorem vestrum frenavit: impetus sceleratos infregit: conatus nefarios repressit: sed vivit adhuc, vivit & vivet in aeternum CHRISTUS JESUS, Dux & summus Navarcha Ecclesiae suae; qui ipse ad clavum sedens, cursum ejus ita moderabitur, ut non modo non vestra, sed ne inferorum quidem porta adversus eam sint praevallitura. Stat enim firmum & immotum, illud Servatoris effatum: Confidite, ego vici Mundum.

Johan. 16. Sed his in presentia missis, ad MYLIUM redeo: cui iusta hodie pro more & consuetudine recepta, persolvi, & à me quidem, persolvi voluerunt illi, quorum precibus honestè refragari nec potui, nec debui. Caterum vos ipsi, qui propius novistis Mylium, me etiam tacente, cognitum exploratumque habetis, virtutum ac meritorum ipsius encomia, tanta esse amplitudinis & excellentiae, ut singula non dico iustà oratione, exaequare, sed cogitatione saltem assequi, difficile prorsus atque arduum sit. Proinde in immensâ hâc, qua ad dicendum sese offert copiâ, pictores imitabor, qui, cum in unâ tabulâ multa exprimere conantur: quorundam saltem

saltem capita, aliorum corpora tota depingunt sic ego summa sequens vestigia verū, ea historicè magis delineabo, quam Rhetorum more amplificabo, ex quibus de laudibus ac meritis MYLII nostri, fieri queat iudicium. Quod dum strictim breviterq; facio, benignas, uti cepistis, aures mihi porrò præbere dignemini, vehementer etiam atque etiam rogo.

Jam v. primū omnium non est, ut prolixam aliquis à me expectet historia telā, quæ patriæ, quæ natalium, quæ parentum atque majorum descriptionem contineat. Quanti enim nobis Christianis isthæc facienda, vel CHRISTI Servatoris exemplo novimus: qui totius orbis imò cæli quoque Dominus & Monarcha, obscurum tamen, abjectū, & plerisque necfando prius auditum oppidulum, in quo nasceretur elegit: qui cum DEUS & DEI filius reverà esset, faber tamē & fabri filius haberi voluit: qui cum omnia mūdi hujus regna ac imperia manusuā teneret: in stabulo tamē natus, vix ac ne vix quidem invenit, ubi suum reclinaret caput.

Sed neq; externis etiam istis laudum præconiis Mylius noster prorsus destituebatur. Patriam certè habuit, augustissimum illud Germaniæ meditullium, AUGUSTAM Vindelicorum: urbem tum opibus ac magnificentia florentissimam:

tum

tum duobus aliis nominibus, longè celeberrimam.

UNO, quòd sacrosancta illa & in hunc usque diem, DEI beneficio, inexpugnabilis Confessio Protestantium, Anno 30. supra sesquimillesimum CAROLO V. Imperatori exhibita, ab urbe hac denominationem longè augustissimam accepit, ut Augustana diceretur.

ALTERO, quòd sanctio illa pragmatica, quam vulgò pacificationem religionis, sive Transactionem Passaviensem appellitant, in Comitibus hac ipsa in urbe, Anno 1555. celebratis, ab Imperatore reliquisq; Imperij ordinibus solenniter confirmata fuit: eà tum pace Imperio Romano restituta, quæ in audito exemplo, diversissimarum religionum homines ita mutuò devinxit: devinctos obstrinxit: obstrictos consociavit: ut ipsius Imperij jugulum petere videri possit, qui pacis hujus conditiones quoquo modo violare, animum inducat. Augustæ ergò natus Mylius, anno 1548. Patre Uulffango, cive ibidem, & fabro lignario: Avo Johanne Geringo, cui ex opificio, more gentis, Milleri appellatio cessit, quæ usu postmodum ita invaluit, ut Millerorum familia diceretur, quæ Geringorum esset propria. Claruit autem Johannes ille Geringus, insigni artis

tis

tis militaris peritiâ: ita ut Carolo Imp. eximie charus esset: sub eodemq; Ducis sive Capitanei stipendia mereretur. Reliqua verò universa generis familia, mechanicis potissimum studiis & artibus occupata, ignobiliore loco erat posita: pietatis tamen & honestatis laude maximè nobilis: ἀνὴρ μὲν γὰρ ἀγαθὸς ἐκ αὐτῆς ἐστὶν δουλεύειν: uti Græcus habet Comicus.

M. Tullius pater ille Romanae eloquentiae, cum ob Ciceronis cognomen dictariis incessetur, ab amicis admonitus, ut aliud sibi cognomen adscisceret: respondisse legitur, se Ciceronis nomen illustrius effecturum, quàm esset Catonum, Catulorum, aut Scaurorum. Idem cum generis & natalium ignobilitas ipsi objiceretur: respondisse fertur: Satius est meis gestis florere, quàm majorum opinione uti: & ita vivere, ut sim posteris meis nobilitatis initium & virtutis exemplum. Id ipsum rectissimè respondere poterat MYLIUS noster, maleferiatis nonnullis Sycophantis, quibus partim ex Milleri cognomine, partim ex generis ignobilitate, calumniandi materiam petere, in more hætenus ac consuetudine fuit positum. Millerorum enim cognomen illustrius ille effecit, quàm Jesuovitæ, Cappuzinorum, & Monacho-

Plutarch.
in apoph.
Rom.

Cic. in
orat. con-
tra Sallust.

nachorum ad unum omnium, unquam esse possit: sic suis etiam rebus gestis floruit, sic vixit, sic mortuus est, ut reverà posteris suis Nobilitatis initium & virtutis, exemplum, extiterit.

Edidit rei hujus specimina primis statim adolescentia annis, quibus bonas literas ita addidit, ut alios easdem docere, privatà Pedagogi operà potuerit: quod bono suo experta est Hainzeliorum familia, nunquam satis laudata, & Patriciatu ibidem, cum primis nobilis. Nam quemadmodum in herbescenti segetum viriditate, certa propè spes futurae messis apparet: sic vix quisquam Augustà tùm erat, qui non jam inde à puero MYLIUM talem fore, qualis postea fuit, facile auguraretur. Ingenium enim quod à DEO planè divinum adeptus erat, ita per artes ac disciplinas, quib. tenerior illa aetas informari solet, excoluit, ut quae disceretur, non tam à magistris accipere, quàm ipse ex se parere videretur. Ingenio respondebant mores, in illa ipsà aetate teneritate graves, severi, compositi: humanitatis tamen ac facilitatis condimento ita temperati, ut eos, quibus conversabatur, & singulari quadam jucunditate sibi conciliaret, & exemplo suo ab omni improbitate avocaret.

Factis

Factis in Patriâ bonarum artium & linguarum fundamentis, ad solenniores sive publicas illas Scholas, quas Academias appellitant, Anno 1566. concessit, & primum quidem Argentinam: inde Tubingam: hinc Marpurgum: in quibus singulis ita vixit, ut juvenis senibus, tyro veteranis, novitius exercitatis, tanquam exemplum continentia, frugalitatis, obedientia, & quæ summa rei est, minimè fucatæ pietatis proponeretur. Suspecta fortassis cuiquam tanquam ex privato amoris affectu profecta commendatio isthæc videri queat: prodeat ergo in medium inclyta Academia Tubingensis, & qualem sese Mylius noster non modò, ut studiosus adhuc adolescens: sed & jam ad ministerium Ecclesiasticum legitime evehctus gesserit, plenius edisserat. Sic autem habent literæ publicæ, quas Testimoniales vocant, sigillo itidem publico Facultatis Theologicae communitæ.

Testamur hunc GEORGIUM MYLIUM, cum studiorum apud nos Tyrocinia faceret, eâ innocentia vitæ, integritate morum, observantia Præceptorum, studio tum assiduitate & vigilantia fuisse, ut statim omnes Professores in certam spem summi

profectus sui erigeret. Nam cum ad præcla-
 ram indolem, ea, quæ diximus accedunt, pul-
 cherrimos & exoptatissimos fructus ad bene
 beateq; vivendum, & immortalem tandem
 gloriam suis possessoribus afferunt. Et sanè
 cum ijs indicijs virtutis & diligentiaë hic no-
 ster in ipsâ adolescentiâ se omnibus commen-
 daret, mox primam lauream est consecutus.
 Deinde ex hac metâ legitimo curriculo, tan-
 quàm ex carceribus, ad Magisterij in bonis ar-
 tibus honorem contendere & aspirare cepit:
 quem & suis foelicissimis conatibus, & consen-
 tientibus suorum præceptorum suffragijs &
 promotionibus adeptus est. Lingvam Græ-
 eam cum Latinâ, & tandem cum his etiam He-
 bræam, ita permiscuit, ut ad solidiorem do-
 ctrinam præclara fundamenta poneret. Pari
 deinde diligentia, curâ & studio, cum ex scho-
 lis Philosophicis ad Theologicas transfiret, usus
 est. Nam apud nos quadriennium totum &
 ampliùs, prælectiones Theologorum omnium
 qui in Academiâ nostrâ sacra profitentur,
 audivit: disputationibus se exercuit: sacris
 concionibus summa attentione interfuit: &
 interim Philosophiæ studia non neglexit: sed
 operam

operam dedit diligentem, ut ea ad instituti sui accuratas, & aliquando Ecclesiæ profuturas rationes dextrè adjungeret. Neque sanè spes hæc vel ipsum, vel alios sefellit. Nam, cum in utraqve & Tubingensi & Marpurgensi Academia, ordinis & Famæ suæ fundamenta præclarè posuisset: tandem Anno 1572. in patriam Marpurgo revocatus est, & ordine sacro initiatus, inter Ministros Ecclesiæ locum inibi tenuit extremum. In qua statione cum annos octo, magno cum Auditorum suorum fructu & commendatione, non modò plebejorum: sed & Magnatum admiratione, sacra pro concionibus popularibus docuisset: de consensu & voluntate Ecclesiæ, Tubingam redijt, gradum in sacratissima scientia nostra Theologica summū petiturus. Hic ergo cum disputando, sacra cursim legendo, Professoribus omnibus, & in accuratiore Examine præclarè nobis satisfecisset, in Doctorem Theologum X. Calend. Decembris, anno salutis 1579. solenniter promotus est: brabevtâ JACOBO HEERBRANDO: Decano verò & vice-Cancellario THEODORICO SCHNEPFIO, magnis illis Theologis, deq; Ecclesia Christi



sti universa, præclarissimè meritis.

Pomer-
pag. 3

Eat nunc personatus ille Sycophanta, Georgius Pomerius, & porro, si lubet, impudenti mendaciq; calamo scriptitare pergat: vitam Mylianam ejusmodi sceleribus ac flagitiis conspurcatam fuisse, ut indignus planè fuerit, cui ad Cathedram vel Ecclesiasticam vel Scholasticam aditus patefieret.

Sed his nunc prætermisissis ad majora & longè augustiora, & ea quidem mea properat oratio, quæ MYLIUS noster, non cum multis communia, sed sibi quasi propria & singularia vendicat. Impe-
trato ergo gradu Doctoreo Augustam reversus MYLIUS, statim consentientibus votis ac suffragiis Ecclesie, idq; ratum habente inclyto Senatu Augustano, Pastor ad Diva Anna declaratur: atque octo menses post Superintendens etiam Ministerij generalis, & Rector (uti vocant) simul Collegij Evangelici. Quæ officia singula atque universa, diligentissimè summâ fide atque dextèritate obijt: inq; id cum primis dedit operam, ut Evangelij veritas adversus quorumvis hereticorum, Pontificiorum, cum primis & Calvinistarum, furores facta-tecta adsereretur: Ecclesie disciplina inconcussa conservaretur: mores dissoluti ac diffuentes legibus coercerentur: Scholarum seminaria nova instau-

*instaurarentur: vetera sed penè collapsa restitue-
rentur: reditus eorundem, ita administrarentur;
ut primorum, uti vocant, Fundatorum, mens
atque voluntas, diligenter ac religiosè observare-
tur. Verùm ò quam verè Silius ille Italicus:*

O dirum exitiū mortalibus: ò nihil unquam
Crescere, nec magnas patiens exurgere lau-
Invidia? (des

*Nam in sublimi hoc & quod eventus docuit,
periculoso munere, quas inimicitias, quas mi-
nas, quæ pericula, quas fame, vitæ ac capitis
dimicationes experiri Mylius noster, necesse
habuerit, non hominum, modò fide dignorum,
sed ipsa Templorum, & Collegiorum pulpi-
ta ac parietes hodiequè attestantur. Cum
enim MYLIUS noster spiritu & zelo ar-
matus divino, abominationes meretricis Baby-
lonica, Pontificis nimirum Romani detegeret:
detectas Verbo DEI reprimeret: repressas ma-
gno animo detestaretur: & gregem DOMI-
NI suæ fidei commissum, docendo & ducendo
à Pontificum Romanorum rabie vindicare
niteretur: ecce tibi, Cælum & terram, con-
turbare: crimen læsæ Majestatis Casaræ
commit-*

committere: seditionis tubam inflare: subditos ad arma contra Magistratum animare, ab Adversariis dictus; concurritur: de capite & sanguine ipsius fiunt comitia: & nihil non tentatur, quod ad opprimendum, & è medio tollendum Mulum, facere videbatur. Sed tot tantisque periculis, odiis, insidiis expositus ipse, animo minime frangebatur: sed contra audentior ibat: longè honestius sibi ducens, vel sanguinem profunderere, quàm ullo pacto permittere, ut se vivo, de religionis Evangelica puritate vel tantillum minueretur: ut verè de ipso dici potuerit, quod alicubi Cyprianus habet: Non animum martyrio, sed martyrium, animo ipsius defuisse.

Bucholz.
Chytr. ii.
Chr. Sax.

Fato quodam, sed minus auspicato tum accidit, ut circa exitum Comitiorum, Augusta Anno 1582. celebratorum, Filius ille perditionis, Gregorius XIII. Pontifex Romanus, Novi alicujus Calendarij, quod Gregorianum vocari voluit, exemplum, ad RUDOLPHUM II. Imperatorem invictissimum mitteret, eo fine, ut in Germanico etiam Imperio illud promulgaret: sicuti ceteri orbis Christiani Reges & Principes in Italià, Hispanià, Gallià, Belgico, & Polonià se facturos receperant. Imperator Calendari-

Calendarium illud Principibus & Ordinibus Imperij observandum commendavit: sed plerique principes & ordines Imperij, qui Augustanam Confessionem profitebantur, Calendarium illud recipere constanter recusabant: non quòd Cæsari morem gerere non cuperent: sed quòd Pontifex Romanus, edità Bullà (uti vocant) Calendarium illud, omnibus Christianis sub pœna Excommunicationis, recipiendum, autoritate Apostolica (quã sibi falsò arrogare solent Antichristi Romani) mandasset: Evangelici autem Ordines Imperij, Romani Pontificis autoritatem & dominium non agnoscerent.

Cæterum cum Pontifex Calendarij receptionem vehementius urgeret: Imperator quidem illud per Silesiam, Bohemiam, Lusatiam, Moraviam, & cæteras Austriæ utriusq; ditiones hereditarias, instituit & servari voluit. Verum Saxoniæ principes, & cæteri Augustanam confessionem amplexi Ordines, in negativa constantissimè perseverabant: excepto senatu Augustano, qui cupiebat Cæsari gratificari, in recipiendo Calendario Pontificio: etenim major & potior pars Senatus ex Pontificiis constabat: Qui verò in urbe ex civibus Augustanam confes-

D

onem

Chytræ-
us. Buch-
holtzer.

onem amplectebantur, quorum sanè multò major parserat, Calendarium Gregorianum, quippe à Pontifice Romano profectum, avertabantur.

Circa hoc ipsum tempus, Senatus suo quodam Consilio, urbem, conscripto milite presidario muniri curavit. Quo facto, in summis periculis, Urbs Augusta versari videbatur. Cum enim cives plerique opinarentur, Magistratum dissidium illud de Calendario, vi armisq; diremturum: milites verò ipsi (quæ solet esse hominum istorum natura) præda atque rapinis vehementer inhiare viderentur: Cives partim bona sua atque clinodia peregrè avehere, partim conductis in suas domos presidariis, sua tutari, vectibus portas atque ostia ædium communire, armis & bombardico apparatu se instruere ceperunt: non quidem seditiois alicuius movenda, sed tantum hostilis alicuius, quam ex Jesu vitarum consiliis non omninò frustra metuebant, irruptionis propulsanda gratia. Rei istius invidiam, universam in MYLIUM præcipuè devolvebant Pontificij: ita ut in aula non tantum vicina Bavaria, sed & Imperatoria, fax & autor turbata Reipubl. Augustana proclamaretur: Roma verò imago ipsius publico in loco affixa, summistractaretur contumeliis

melij: Iesuvvitis interim nihil non per fas nefasq;
tentantibus, quò sub prætextu Calendarij Grego-
riani, doctrina Lutherana sive Evangelica jugu-
lum peteretur: Et universa urbs pristino illo ser-
vitutis Pontificia jugo implicaretur. Negant ho-
die hoc ipsum Iesuvvita, Et quæ effrenis istorum
hominum mentiendi, simulandi Et dissimulandi
est licentia, strenuè negant, tale quid ab ipsis eo
tempore deliberatum, gestum, factitatumq; fuis-
se. Quæ in parte succenturiantem, habent perso-
natum Pomerium, qui Et ipse falsa omnino suspi-
cione, deceptos fuisse Evangelicos, impudèter garrit.

Pomer.
part. 2.
pag. 5. SIL
& 13.

Sed quàm vera, aut falsa hæc fuerit suspicio,
quàm vanus aut iustus fuerit metus ille, quem ex
Consilijs Iesuvviticis Evangelici conceperant: res
ipsa, quod ajunt, loquitur: Et quorundam scri-
pta atque literæ luculenter attestantur. Placet ex
multis pauca delibare, ut stupenda tum Iesuvvita-
rum, tum Pomerij vanitas Et impudentia clarius
innotescat omnibus.

Cùm Augusta de aperiendo Collegio Iesuvviti-
co consilia agitarentur, Et hujus rei copia ab Impe-
ratore Et Pontifice exoranda esset, inter reliqua
Informationum capita, jussu Cardinalis Novoco-
mensis, per Doctorem Nicolaum Elgardum,



Cardinalibus congregationis Germanicæ exhibita, etiam isthac continebantur:

Diligenter cum Catholicis Senatoribus Augustanis conferendum, dum S. D. N. hoc modo (nempè per apertionem Collegij Jesuuvitici) Ecclesiæ DEI consulere vellet, annè majora incommoda, tumultus, seditiones, aliaq; pericula timeri possent: vel, si quæ forent metuenda, annè talia essent, quæ ipsorum consilio, autoritate & potestate sedari & amoveri possent.

Augusta si esset Catholica, vicinos Catholicos, Imperij tranquillitatem, & causam Religionis multum posset juvare.

Sub pallio Confessionis Augustanæ omnes hæreses irreperunt. Si Augustæ tam notabilis fieret reformatio, omnes divinitus factum crederent, ut undè initium erroris, inde principium reformationis oriretur: Quod Catholicis magnæ consolationi: hæreticis esset terrori. Multi Principes & civitates excitarentur & confortarentur ad imitationem, præsertim cum intelligerent, hoc institutum sanctissimi Domini nostri autoritate, ratum ac firmatum esse.

Siali-

Si aliter domus David pacem non potuit habere, nisi per mortem inobedientis filij Absolom: oportuit parentem Filium peremptum dolere, & de pace regni gaudere. 23. q. 5. Qvis enim.

DEUS vult ut corrigamus malos (hæreticos Lutheranos) si nolumus, ipse corriget ipsos & nos. 23. q. 4. Si quis igitur.

Porrò in propositione, de hoc ipso negotio ad Pontificem habitâ, hi etiam flosculi, spiritum Jesu viticum, satis manifestè resipientes, fuerunt proditi: Si civitas Augustana, tota in hæresin abeat, quod propè est, nisi magna vigilantia, necessariisq; mediis caveatur, non tantùm Clero & civibus Catholicis, sed vicinis principibus, atqve ipsi Imperatori, plurimum periculi orietur. E diverso, si hæc civitas conservetur, & Reformatione incrementum sumat, non tantùm clero Catholicisq; civibus: verùm etiam Catholicis Principibus, Imperatori, adeoq; sedi Apostolicæ apertissima commoditas & accessio fiet, &c.

Præterea Pontifex ipse Gregorius XIII. literis ad Augustanum, & Frisingensem Episcopos, de hoc ipso negotio datis, quem in finem societas Jesu vitica intra urbis Augustana pome-

ria recipienda esset, haud obscure significavit: sic inter cætera scribens: Venerabiles fratres &c. ob singularem paternum affectum, quo regionem Germanicam ipsam, præsertim autem insignem ipsius Imperij civitatem, Augustanam prosequimur, omni studio & opera nobis elaborandum esse, jure censemus, ut ab erroribus revocari, & ad antiquam pietatem reduci queat. Quod ut ex animi nostri voto foeliciter succedat: operæ pretium esse duximus, in illis partibus, viros religione, pietate & sacrarum literarum scientia conspicuos constitui, qui suggerente & cooperante Domino pristinum veræ religionis cultum & fidei orthodoxæ veritatem restituere ibi studeant, quales experientia rerum magistra esse jampridem docuit religiosos viros venerabilis societatis Jesu &c. adeo ut magnam spem restaurandæ hoc medio veræ Religionis, in prædicta ciuitate conceperimus, per ministeria ipsius societatis &c.

Quid? quòd in ipsa urbe Augusta ex Catholicis facile primarij ad Cardinalem quendam scribere non dubitarunt.

Si Augusta nostra opibus atque omni
armo-

armorum genere referta, per incuriam & somnolentiam nostram à Lutheranorum impia machinatione occuparetur: tunc profectò vicinis, imò omnibus passim in Germania Catholicis summum inde periculum immineret. Contra verò, si Augusta in fide Catholica & obedientia Imperij conservaretur, vicini Lutherani parùm efficere & incommodare possent: cum vel ex hac sola civitate omnis illorum conatus opprimi & ipsi una cum sua religione, si res ita postulet, funditus extirpari faciliùs possint.

Et post pauca: Si Jesuvitæ Cœnobio Dominicano potirentur, conduceret hoc tum ad præsentem sectam pestiferam EX HAC REPUBLICA POTENTER eliminandas & profligandas: tum ad confirmandam & propagandam hinc Ecclesiæ Romanæ doctrinam & obedientiam.

Insuper neque obscurum erat velesse poterat, quàm seditiosis literis Petrus Canisius Oeniponte, & Gregorius Rosaphus, Jesuvitæ, Augustam ad quendam magni nominis & autoritatis virum Catholicum, quem iste Angelum Augustanæ civitatis appellitat, scriptis, frigidã suffundere
studu-

studuerint. Canisius sic inter reliqua: De Augustano negotio multis monere non attinet, quod sapientiæ vestræ si Augustæ esset, præsentia multò sanè melius habere posset. Nam ex literis nostrorum intelligo, rem non optimo loco esse, & incerta fluctuare consilia, quia difficili navigationi desit peritus Nauclerus: Ideoque majorem in modum petunt, & rogant, ut suum reditum præstantia tua, quoad eius fieri potest, maturare dignetur. Nec enim expedit sanè tanti negotij fundamenta probe jacta desereri, & causam bonam malè promoveri &c. Hoc unum precor, ut se quamprimùm (tua præstantia) Augustanis reddat, ac bonorum desiderio, qui rem fœliciter cœptam finiri tandem exoptant, pro sua pietate, satisfaciat.

Gregorius verò Rosaphius, eundem Catholicum Augustanum Vienna Austria tum subsistentem, his verbis animare non dubitavit:

Wolan /solassen vns den E. G. noch ein specimen sehen ihres eyfers /die icht mündtlich vñ Persönlich (bey Key. May:) können ausrichten / was sunsten mit grosser mächtigermühe schriftlich geschehen: Sie wollen noch Vor ihrem End das liebliche Schwanen gesang tichten / vnd Diese Herrliche impresa thun. Et mox post aliqua: Richten E. G. icht etwas dapffer aus /wie mir nicht zweiffelt / Dann man ie einmal

einmal muß zum end kommen / so kan man wol sagen / daß nach Gott / E. G. ein anfangen vnd vollender seye dieses grossen wercks / daraus dann erfolget / das alles guten / so da möchte geschehen / sie theilhaftig sein werden / hie vnd dort.

Et rursum post pauca: Nun zum beschluß / nenne ich E. G. Angelum Augustanae Civitatis die wollen dapffer streiten / contra antiquum serpentem vnd die occasion nicht aus der Hande lassen.

Ubi jam Pomeritibios, ubi frons, ubi pudor tuus, qui usque adeo impudenter scribere non exhorrescis, tum Ministros, tum Auditores Evangelicos, falsis præconceptis judiciis, frustra suspectos fuisse, de ipsa Religione Lutherana ex urbe Augustana profliganda, à Pontificiis consilia agitari.

Sed ut ad ^{supra} illam, de Calendario Gregoriano redeam, cum consilia isthac Iesu vitica, quibus, mediante brachio seculari, Confessioni Augustanae compedes injicere, doctrina Evangelicæ jugulum ipsum petere, pios veritatis confessores sedibus ejicere, summo studio annitebantur, minimè obscura esse possent: certè nequè MYLIUS noster, nequè ceteri ipsius Symmystæ in Calendarij receptionē ita facile consentire poterant: nisi veritatem Evangelij, libertatē Christianam Eccle-

E

sias

sias denique imò animas fidei suæ commissas, temerè & impiè prodidisse videri voluissent.

Re ergò probè deliberata, non vi, non miniis, non armis: sed consilio & precibus causam egerunt suam, tum domi apud Magistratum ordinarium: tum foris apud Imperatorem & quidem in Camera Spirensi Imperiali: donec tandem legitima via atque ratione Mandatum impetrauerunt, Imperatoria autoritate munitum, quo veteris Calendarij usus, posthabito novo, exemplo cæterarum Augustanæ Confessioni adjunctarum Ecclesiarum, ipsis concedebatur.

Cæterum, cum Senatus in iudicio Imperialis Camera opponeret, se nihil contra pacem Religionis datam moliri, sed politicis tantum causis moveri, ut videlicet commercia usitata cum vicinorum principum & Episcoporum, qui illud recepissent, subditis commodius exerceri, & in urbe omnis generis confusiones in iudiciis, nundinis, macellis, opificum tabernis, ex dissimilitudine Calendarij orientes, vitari queant. aliud DECRETUM in Camera, quo prius illud annihilabatur, ineunte Maio obtinuerunt. Quod cum Augusta promulgatum esset, Ministri Evangelici, quorum MYLIUS noster Preses sive Superintendens erat scripto senatui

Verba
formalia
Chytræ.
in chron.
Sax.

tui explicant, se in omnibus politicis negotiis Decreto parituros esse: sed in templis, ac festorum celebratione, & Evangelica religionis suae exercitiis se nullam obedientiam Pontifici Romano rursus praestanda significationem praebere posse. Ideoque die 24. Maij, pro concione festum Ascensionis Christi, proxima die 28. Maij. celebrandum auditoribus suis denunciant, quod uno mense antè Pontificij iam peregrant.

Hanc denunciationem ægerrimè ferens, Senatus postridiè, die nimirum 25. Maij, qui Urbano sacer est, Mylio officium ac stipendium circa meridiem renunciat: eumq; extra urbem educi mandat: in quo dum moram praefectus vigilum neçtit: cives re cognita, primò inermes, postea armati concurrunt, & Pastorem suum jam curru impositum, propè urbis portam eripiunt. Quam mirandæ suae liberationis historiam, ipse MYLIUS his verbis, in suo ad Epistolam Pauli ad Romanos Commentario, delineare voluit.

pag. 218.
b.

Die hac ipsa 25. Maij admonitus non sine ingenti animi mei gaudio cum gratissima divini numinis veneratione recordor liberationis miraculosæ: quã mihi annis ab hinc sex in

Patria mea benignissimus Servator meus JESUS præstitit cui annua hujus beneficij cōmemoratio à me, dum vixero facienda, dudum religioso voto nuncupata est. Exosus erā longo tempore Jesuvvitarum cohorti, & universo cœtui Pontificio, præ alijs omnibus Collegis meis, quos habebam plerunque quindecim. Postremo biennio ad crudelia & sanguinaria consilia ab ipsis descensum fuit, varijs excogitatis machinationibus, quas divinitus elidit cum dolore multoties senserunt. Cumq; rem ipsam extremo etiam periculo sibi tandem esse periclitandam existimarent, missa cohorte armata militum, cum conjugē gravida, & partui jam vicina prænsurum, opprimi, apprehendi, capi & abduci voluerunt. Integerrimum mihi erat, elabi ex eorum manibus, aut vi etiam me tueri, si voluissem. Sed veram DOMINO, quia integro ferè biennio fors hæc singulis noctibus expectanda erat, quam ego grauter metuebam, propter mendacia & latrocinia Jesuvvitarum, qui me nescio quò abstrusum, aut tortura enecatam, uel horrendorum criminum confessorem, uel Christianæ fidei abnegatorem esse factum

com

commenturi fuerant: voveram inquam DOMINO meo, si interdum me in manus hostium, venire pateretur, me ope ipsius adjutum, ad carcerem, ad torturas, ad crucem, ad ignem, ad necem parato animo secuturum. Abductus ergo fui domo mea, avulsus à conjugè & liberis, abreptus ex gremio charissimæ Ecclesiæ, non tantum armatâ stipatus militum, cohorte, qui abductum cingerent: sed varijs hinc inde militum præsidijs cinctus, qui urbe educendo omnem humanæ liberationis spem mihi intercluderent. Erant in conspectu meo non tantum ad Excubias collocata: sed in acie instructa etiam posita aliquot Hispanorum militum signa, tormenta majora mæniorum & portæ vicinæ displosioni parata: Et ne extra portam abducto ex civium auxilijs ad me vel tantillum pertingere posset, octo reliquæ urbis portæ occlusæ omnes: nona verò, per quam educendus eram, sic præsidio militari, tormentis alijsq; apparatu instructa, ut me transeuntem secuturus nemo fuerit. Jamq; ad fossam foris constituta rheda erat, quæ per Bavariam, in Italiam, me abduceret, & celeberrimis equis vecti urbe exierant, qui Romæ ad-



ventum meum nunciarent. Ecce mihi ^{δῶν}
^{μνηστῆρας θεοῦ}, qui immissa paucorum juvenum,
 plærorumq; etiam inermium manu, tantum
 tamq; panicum terrorem militaribus præfidi-
 is incutit, ut me ex manibus suis eripi atque a-
 velli patiantur. Pro qua liberatione laus sit tibi
 sempiterna, benignissime JESU. Ego in te
 speravi DOMINE, dixi: DEUS meus es tu: In
 manibus tuis fortes meæ: Eripe me porrò eti-
 am de manu inimicorum meorum: imò eripu-
 isti me: Stat ergò sententia, & spes firmissima:
 Tu porrò etiam me eripies, Amen.

*Hactenus MYLIUS ipse, qui mirabiliter sic è
 manibus hostium ereptus, illa quidem adhuc ve-
 spera conjugii & liberis restituitur: sed ita ut vix
 paucarum horarum usurà in mutuos amplexus
 ipsis concessa: postridiè non sine præsentissimo vitæ
 discrimine, mutato habitu itineri se accingere, &
 Patriæ charissimæ valedicere coactus fuerit. Diu
 autem multumq; hesitans, quò sese verteret, & ubi
 tutiorem pedem figere posset: tandem suavis &
 hortatu amicorum, ULMAM Sueviæ Metro-
 polim concessit: civibus & Senatoribus illius Urbis
 non ut amicū, sed ut filium & fratrem ipsum susci-
 pientibus: quem admodum ipsemet literis ad mi-
 nisteriū Augustanū scriptis, multis id deprædicat.*

Die 29.
 Maij An
 no 84.
 ULmæ.

Ceterum vix V L M Æ pedem figens MYLI-
 US accepto nuncio de morte conjugis BARBARÆ
 Grundlerianæ, matronæ longè honestissima: quam
 annis XI. antè in matrimonium sibi junxerat: acce-
 pto inquam tristissimo hoc nuncio de morte conju-
 gis: nec hujus tantum, sed & sobolis, in novum, e-
 umq; longè acerbissimum marem conijcitur: què
 ipse iisdem literis ad Ministerium Augustanum
 exaratis hunc in modum satis tragice exprimere
 voluit: Heu miseram illam, & flumine lachry-
 marum deplorandam diem, qua ego ex vestro
 consortio subito exemptus, è cõplexu mœstif-
 simæ uxoris, & suavissimorū liberorū, è conspe-
 ctu amicorū omnium, denique ex gremio qua-
 si, aut quod ipsum verè dixerim, ex corde &
 meditullio meæ afflictissimæ Ecclesiæ abstra-
 ctus atque revulsus sum. Miseriorem verò &
 miserrimam planè illam diem, qua soboles te-
 nerrima sui sanguinis baptismo tincta Marty-
 rium citius, quàm ipsam penè vitæ hujus mi-
 seriam subiit. Tristissimam autem diem illam,
 quæ mihi vitæ hujus ærumnosæ sociam, exilij
 comitē & solamen fidis. eripuit, & afflictissimo
 etiam afflictionē attulit, quâ major in humanis
 reb. mihi 9tingere nulla potuit. Quib. omnib9
 coacerva-

cervatis & quasi accumulatis & conglomeratis calamitatibus, nisi me DEUS mirabiliter voluerit esse superstitem, simul omnes una vice ferendo esse non potero.

Verum consolationis materiam ex hoc ipso, licet tristissimo fato satis efficacem petere solebat MYLIUS noster, quoties apud animum expendebat incredibilem illam animi magnitudinem, quantum acerbissimos partus dolores, tum mortem ipsam conjux superavit. Nam jamjam ex hac miseriarum valle discessura, devictis partus doloribus pro duobus insignioribus beneficiis, divinitus in se collatis, inter cetera DEO devotissimas egit gratias. Alterum erat, quod Dominum & maritum suum non tantum ex faucibus draconum & Leonum, singulari DEI providentia ereptum audiret: verum etiam ipsum presentem suis oculis adhuc conspexerit, & maximo cum desiderio, suos ultimos sermones cum ipso contulerit.

Alterum, quod pater misericordiarum ante postremum agonem sibi dolores partus acutissimos, non tantum mitigaverit, sed quasi removerit: simul hoc addens: se cum sobole veros esse CHRISTI martyres: Quoniam ipsa de propria salute

salute per CHRISTUM impetrata, nihil dubitaret: & suam sobolem certò statueret in utero Salvatoris Christi tinctam sanguine, secum æternæ beatitudinis esse heredem. Tandem in hosce sermones oculis jam caligantibus erupit magno animo: Scio quòd Redemptor meus vivit, & scio, quòd ejus hostis Satan magnum contra dilectum meum Dominum & maritum concepit furorem. Ut igitur furor ejus infringatur, maturabo jam, cum sobole mea ad CHRISTUM, judicem vivorum & mortuorum: ut tanquam duo legati simul ambo supplicem libellum offeramus justo judici, pro marito & patre intercedentes, ne suum indefessum & fidelissimũ ad Ecclesiam legatum deserat, sed tueatur & defendat, & meam, sicut & dilectissimæ sobolis, Martyris sui, vindicet injuriam: & simul clementer prohibeat, ne crudeles hi Tyranni, in furore suo, alia quoque CHRISTI membra dilanient. Quibus prolatis, placidissimè in DOMINO obdormivit. Tanta autem hominum frequentia funus comitabatur, ut Templum Crucianum, satis alioquin amplum, in quo funebris habebatur Concio, vix tertiam partem comitantium caperet: tantus per plateas undique exaudiebatur ploratus, ut plerorumq; etiam viro-
 F rum



rum oculi lachrymis maderent: indices singularis illius favoris, amoris & desiderij, quo MYLIUM extorrem prosequerentur.

Sed priusquam cum MYLIO ad reliquam vitæ ipsius historiam progrediar, silentio hoc loco involvere nec possum nec debeo, incredibilem illam animi moderationem, quæ tum Ecclesiarum Ministri, tum cives Evangelici (licet illa crepent Pomerio) sub hac tempestate uti voluerunt. Nam si vim vi repellere, si consilia Jesu vitæ sanguinaria, si artes sinonias, si calumnias atrocissimas, quibus Religionem, Ecclesias, Doctores, conjuges, liberos, vitæ fortunæque suas, satis hostiliter peti videbant, armis propulsare: si denique occasione in manus ultrò quasi data longè commodissimè uti voluissent: certè facilimo momento, non modò jugo Pontificio se penitus exolvere: sed & universam illam societatem Jesu viticam, quæ nil nisi cædes & sanguinem spirabat, cum tota illa cohorte Hispanica, urbe ejicere, profligare, imò funditus delere potuissent. Verùm animis ad patientiam, & moderationem compositis, & carnis motibus sub obsequium pietatis captivatis, locum relinquere maluerunt Pastorum suorum vocibus & consiliis: ex Scripturis subinde acclamantium: Ne queratis ultio-

ultionem, nec memores sitis injuria: ne dicatis: Quomodo fecerunt nobis, sic faciemus eis: sed DOMINO vindictam: ipse retribuet. Levit. 19. Prov. 25. Dent. 32.

Diogenes Philosophus interrogatus à quodam, quo pacto deberet, & posset ulscisci inimicum: respondisse fertur: si te ipsum probum, & honestum virum, præstiteris. Hoc ipsum civis Augustani Evangelici rectissime statuent: se tum maxime vindictam sumsisse de inimicis suis, quando probos, honestos & pacificos cives sese exhibuerunt: neque cum potuissent, in vitam, ac sanguinem hostium sævierunt.

En verò tibi spiritus Evangelici, & moderationis Lutheranae illustre & prorsus memorabile Exemplum. Deum immortalem, si consilia ad nutum atque voluntatem Jesu vitarum cecidissent: si eadem oblata ipsis fuisset, profundendi sanguinis Lutherani occasio: si victoria trophæum, tam certò sibi polliceri potuissent: certè vel uno illo die, tristiores lanienam inclyta Augusta experta fuisset, quantam unquam vel Lutetia Parisiorum, vel Antverpia Bataavorum experta est: ita ut non singula tantum

ades sed singularum adium singula conclavia: imò
 singulorum conclavium singuli parietes Luthe-
 ranorum sanguine maduissent: neque Iesuvvitæ
 quicquam aliud, quam illud Caligula in votis
 habuissent: ò utinam universus Lutheranorum cæ-
 tus, unam tantum haberet cervicem, ut uno ictu
 simul omnes interficere possemus.

Fulgos.
 lib. 3. c. 11.
 ex Suet.

Sed ad MYLIUM redeo, qui ULMÆ subsi-
 stens nihil prius aut antiquius habuit, quam us-
 tum ab ipso ministerio Ecclesiastico, tum à præse-
 ctis Ecclesiæ testimonia vitæ & laborum impetra-
 ret: quæ etiam impetravit maximè honorifica: ita
 ut pudorem cum omni pietate exuisse merito vide-
 ri debeat, fictitius ille Pomerius, qui diversum de
 Mylio vulgo hominum persuadere, mendaci cala-
 mo conatur. Quantis vero officiis & beneficiis ab
 Ulmensibus toto eo, quo eorum hospitio utebatur,
 tempore affectus fuerit: ipsemet nunquam satis se
 predicare posse, aliquoties testatus est. Duorum
 autem potissimum beneficiorum se subindè recorda-
 ri, in Epistola ad quendam amicum, ingenuè con-
 fessus est: Quorum alterum à Senatu amplissimo in
 se profectum sit, qui patriam profligatum, patriam do-
 naverit alteram. Neque enim alio quam patriæ loco
 ipsi esse poterat habitatio, quæ ipsi exuli & hostium
 insi-

*insidiis ac persecutione undiquaque petito, tum
tuta, tum honesta, tempore bene longo ULMÆ
concedebatur. Alterum à viris illis, non ortu ma-
gis, quam virtute, prudentia, & meritis in Rem-
publ. Nobilissimis, Domino DANIELE SCHA-
DIO seniore, urbis tum pratore: jam emerito: &
Domino IOHANNÉ RODOLPHO EHIN-
GERO, Reipub. Advocato fidelissimo, ipsi exhibi-
tum. Uterque enim præ aliis MYLIO à patre, &
matre tum derelicto, non Patronum magis, quam
patrem longè paratissimè sese præbuit.*

*Durante pathmo Ulmensi alteras celebravit
nuptias, cum laudatissima virgine VERONI-
CA ex familia Weissiana: patriciatu Augustæ
valdè celebri: viduà nunc mestissima: vel hoc pa-
cto, variarum ærumnarum ac malorum levamine
quodam recreatus. Quanquam DEUS & mul-
tis signis aliis, paterni sui favoris argumenta tum
quoque elucere voluit. Nam è patria ejecto, & ex
statione Ecclesiastica Augustana profligato Mylio,
DEUS non de uno, sed pluribus distinctis, iisq;
longè præclarissimis provinciis, paternè prospexit:
ita ut tum à viris Principibus summis, tum à Re-
bus publicis nobilissimis expeteretur. Sum enim
volebant esse MYLIUM Argentinenses: sum*

Brunsvicenses, vivente adhuc incomparabili illo
 Theologo Doctore MARTINO CHEMNIO:
 in cuius vel solo conspectu & admiratione,
 magnam felicitatis suae partem positam fore re-
 scripserat MYLIUS: suum denique volebat esse
 AUGUSTUS ille verè Augustus Elector Saxo-
 niae: qui voti etiam sui praeceteris compos, huic
 ipsum Academiae Professore, Cancellarium &
 Praepositum Templi arcis constituit, Anno
 Christi 1585. mense Junio. Hæc sanè verè
 augusta vocatio uti Augustani Exilij compensa-
 tionem haud mediocrem attulit MYLIO: Ita
 ipse nihil studio, nihil labori, nihil opere fecit re-
 liquum, quò Spartam, quam nactus esset, præ-
 claram, egregiè exornaret: sacrosancta Reli-
 gionis Christianæ mysteria sincerè proponeret:
 gregem DOMINI, suæ commissum fidei, à
 Iesuuitarum & Calvinianorum insidiis tu-
 tum præstaret. & summatim loquendo, di-
 vinum illud Lutheranae puritatis depositum ita
 assereret: ut quamcunque laudem consecuturus
 sit: illam sincerae pietatis studio commervuisse: &
 quodcunque odium subiturus, illud patrociniò ve-
 ritatis contraxisse, videri posset.

Verùm uti rerum omnium vicissitudo est, &
 ut Po-

ut Poeta canit, magni brevis est fortuna favoris:
 ita neque MYLIUS singulari illa Electoris cle-
 mentia: neque Ecclesia pace ac tranquillitate
 illa diu frui potuit. Nondum enim annus unus
 abierat, cum fato nimis tristi & acerbo in vivis
 esse desineret AUGUSTUS, AUGUSTUS inquam
 ille, Dux & Septemvir Saxonie, qui ceu alter se-
 culi nostri sive Josias sive Hiskias, cura ingenti, im-
 pensis maximis, labore immenso FORMULÆ
 CONCORDIÆ aureo in Ecclesiis Evangelicis
 constituto trophæo, tanto seculum superius benefi-
 cio affecerat, ut majori nemo quisquam potuerit.

Occasione hac arrepta infensissimus ille generis
 humani hostis Diabolus, antiquam illam, Sacra-
 mentariam nempe fabulam, in harum regionum
 Ecclesiis ludere: novas iterum Tragœdias exci-
 tare, consilio planè infelicissimo cepit. Etsi
 enim in Ecclesia atque Scholis pacata erant u-
 niversa, constitutionum atque legum optima-
 rum repagulis omnia firmissimè circumseptæ:
 Princeps ipse, CHRISTIANUS I. paterni Im-
 perij, & Electoratus Saxonici heres & successor
 unicus, de religione rectissimè sentiens: consensus
 denique Ordinum omnium Provincialium lon-
 gè maximus: non tamen defuerunt tum in
 aula

aula, tum in Academiis quidam Sinones, qui
 progressu temporis, variis artibus atque dolis opti-
 mum optimi principis animum sibi devincirent:
 in mores mentemque ab institutione paterna alie-
 nissimam inflecterent: nobiles atque aulicos, quin pro-
 vincialium precipuos, qui in magno quondam viven-
 te AUGUSTO, dignitatis fastigio constituti erant,
 exosos Principi redderent: viros bonos, de quibus Eccle-
 siis & Scholis optime meritos, suis dignitatibus
 atque officiis deturbarent, vel ita minis saltem ter-
 ritarent, insidiis circumvenirent, dolis supplan-
 tarent, periculis denique concluderent, ut aut eli-
 dere atque excutere ipsos, cum vellent, facilime
 possent: vel non excussos atque elisos maxime, curis
 tamen emaciarent & conficerent.

Cui infelicissimo instituto maxime profutu-
 rum confidebant isti homines, Mandatum illud
 vere Sinonium, veritatis religionisque Christianae
 plane proditorium, quod primum silentium impe-
 rabatur Ecclesiae Ministris, Scholarumque professori-
 bus, ne pro suggestu aut Cathedra verba facientes
 lupum Sacramentarium proprio nomine appella-
 re in animum inducerent: deinde, ne cuiquam fas
 esset, de rebus sacris sive Theologicis in publicum
 quicquam emittere, nisi ad aulam prius missum,
 hoc

hoc est, ab hominibus illis Calvinianis approbatum fuisset. Effectus & eventus actionis istius Simoniam mox deprehensus fuit is, ut Liber Christianæ Concordiæ, tanquam plenus erroribus, & omnium discordiarum, materia publicè proscriberetur: Augustanæ Confessionis prototypon imperfectiōnis, obscuritatis, timiditatis, quin & heresim accusaretur: Lutherus partim tanquam rigidus & turbulentus passus, atrocissimis calumniis & convitiis impune proscinderetur: partim defectiōnis sub obitum ad castra Sacramentariorum, palam insimularetur: Calvinismus denique pedetentim magis magisque, Ecclesiis & Scholis, sub specioso corporis doctrinæ Philippici prætextu, calidè & astutè obtruderetur. Unum tum obstare videbatur, quo minus aperto Marte rem tentare auderent: nempe Triga illa præclarissimorum Theologorum, qui tum in hac nostra Academia, magno zelo ac spiritu, Consiliis, vel dolis potius Calvinisticis obstruebant. Proindè vel levissima oblata occasione, autores suasoresque, Optimo Electori fuerunt, ut in eorum dimissionem paratissimo animo annueret, quos magno etiam sumtu AUGUSTUS retinendos esse, arbitratus fuisset. Nam circa finem Anni 1586 cum Magnus ille Theologus,

G

deq;

deq; Ecclesia hac & Academia optimè meritus,
 & adhuc hodiè merens, POLYCARPUS LIT-
 SERUS, aliud fortassè agens, conditionis haud
 contemnenda occasionem sibi ad Brunsvicenses
 obtingere, datis ad aulam literis ostendisset: re-
 sponsum mox sed prorsus inexpectatum accepit,
 ut frueretur, quam sibi oblatam putaret, felici-
 tate: Ecclesie Uitebergensi de alio Pastore
 prospectum iri. Quod responsum missis à Sena-
 tu oppidano legatis ad Aulam, pro retinendo D.
 Polycarpo, mutari non potuit: obstantibus va-
 fris Calvinianorum consiliis & machinationibus.

Vix D. Polycarpus magno cum marore ac
 desiderio nostrorum civium Brunsvigam con-
 cesserat: & ecce per peculiare quoddam decretum,
 in arce hujus oppidi publicatum, insignis Theolo-
 gus Doctor JOHANNES MATTHÆUS, ob-
 scripta fortassis orthodoxa, quæ magno zelo at-
 que spiritu adversus vicinum Servestianum Sa-
 cramentarium U Wolfgangum Amlingum
 in lucem ediderat, ab officio remouetur. Fuit ipsi
 hæc res, senectà jam satis maturà, quamvis vege-
 tà gravissimi maroris causa: quem tamen sic leni-
 re voluit DEUS, ut decima sexta post dimissio-
 nem die, ulcere, quod Medici Anthracem vo-
 eant,

Anno
 1588. die
 2. Sept.

cant, circa occiput infestatus, ex hac Uiteber-
gensi, in cœlestem & beatam Academinm ma-
gno cum multorum mœrore avocaretur.

Quam ipsam fortunam, sub alio tamen sche-
mate expertus est etiam MYLIUS noster. Nam
cùm ad normam corporis doctrinæ Philippici in
obeunda investitura cujusdam Theologi, in Eccle-
sia nostra Parochiali, publicè inaugurandum
astringere detrectaret, id ipsi præmij obtigit, ut
statim Cancellariatus munere atque dignitate
exuto, de stipendij annui solarario, una vice sexcen-
ti floreni adimerentur. & paulò post à Ducibus
Saxonia Vinariensibus & Coburgensibus expe-
tito, mox hinc discedendi venia atque potestas,
& quidem nihil rerum istarum conscio, ne-
dum requisito, non tam concederetur,
quàm mandaretur. Sic ergò relicta Uite-
berg à Jhenam concessit MYLIUS, Anno Chri-
sti 1589. die 12. Februarij: desiderium sui, tum
apud cives, tum quosdam Academicos, relin-
quens longè maximum

Ceterùm qualem sese in obeundis muneribus,
quibus Uiteberga præfectus fuerat MYLIUS,

G 2

gesserit

gesserit : testatur diploma illud Academicum sigillo publico confirmatum, pridie ante discessum MYLIO sub Rectoris Academici nomine communicatum : quod inter reliqua sic habet:

Cum ante annos ferme quatuor, Reverendus & Clarissimus vir, ac S. Theologiæ Doctor & Professor, Dominus GEORGIUS MYLIUS Augustanus, Collega & amicus noster charissimus, ad societatem operarum, in hanc Academiam, autoritate & jussu laudatissimi Principis, Electoris AUGUSTI Ducis Saxoniae &c. cujus memoria in æterna sit benedictione, vocaretur, & præter concionandi profitendiq; partes Cancellarij quoque munus in Academia & præpositura in templo arcis ei committeretur: non tantum excellentem doctrinam, in omni literarum varietate, & singularem dexteritatem in concionando, profitendo, disputando, conferendoq; sententias, verum etiam memorabilem industriam, diligentiam assiduitatem, & fidem, in conficiendis negotiis, & communicatione officiorum in ipso perspeximus. Quæ dona, quàm sint rara, & tamen necessaria, tam gravem

vem

Vem functionem gerenti, nemo est, qui non intelligat. Erga nos Collegas suos talem, se gessit in omni officio, ut nihil unquam arroganter, nihil temerè, nihil ab honestate alienum susceperit. Ob quas virtutes haud vulgares, optassemus nobis diutius consuetudine ejus & operarum societate uti licuisse. Sed cum non sit hominis via eius, & dirigere gressus suos, juxta prophetam, nos quoque discessum ejus æquo animo ferre, nec voluntati divinæ repugnare decet, quòd hoc tempore stationem suam apud nos relinquere, & ad vicinam Academiam, ad quam honorificè & ab aula, & ab Academia vocatus est, se deportare decrevit. Nos ipsi discedenti hanc Judicij nostri, & propensionis atq; benevolentiae in ipsum testificationem, summa voluntate tribuimus, ne quid fortè hoc tempore exulcerato, cuiquam suspicionis sinistrae, ipsius à nobis discessus afferret. Vt etiam huic diplomati sua constaret Fides & certitudo, usitato id Academiae huius Sigillo munire voluimus. Quod dabatur VVitebergæ, Anno Christi 1589. die, 11. Februarij.

Sic ergò Jhenam translatus MYLIVS pri-

G 3

mum



mum inter Theologos locum autoritate princi-
 pali occupavit: & postremo etiam biennio Pasto-
 ris atque Superintendentis muneri praefectus fu-
 it: quod tanta fide, industria, autoritate admi-
 nistravit, ut nominis sui famam & existima-
 tionem longè lateq; extenderet. Hinc extera ci-
 vitates atque Respublica, Rigensis, Regiomonta-
 na, Brunsvicensis: Hinc Comitum, haud pauci
 Solmensis cum primis & Schwarzburgicus:
 Hinc ipsi quoque Principes Saxonia Coburgenses,
 certatim quasi operam ipsius expetiverunt: in pri-
 mis verò cum Anno 1591 die 25. Septembris pre-
 maturà admodum morte abriperetur, optimus
 Princeps CHRISTIANUS I. Elector Saxonia, be-
 atissima recordationis, cujus facilitate fex Sacra-
 mentaria diu satis perfidè abusa fuerat: & Ele-
 ctoratus Saxonici Administrationem subiret
 FRIDERICUS VVILHELMUS, Dux Sa-
 xonia nūquam satis laudatus, augustissima recor-
 datonis Princeps, deq; summa rerum constituen-
 da, cum Ordinibus provincialibus consilia agi-
 tarentur: MYLIUS noster dignissimus fuit ju-
 dicatus, qui unà cum aliis arduo illi & difficili
 Reformationis operi adhiberetur. Cui pro-
 vincia etiam vacans MYLIUS, mensibus
 quinque

quingve integris in colligenda. rest aurandaq; no-
stra hac Ecclesia VVitebergensi miserè per Sa-
cramentarios turbatà dissipataq;: octonis verò
aliis in visitatione Misnica insumptis, fidè, studi-
um, industriã, animiq; alacritatē ita probavit, ut
de toto hoc Electoratu Sax. preclarissimè mereretur.

Qua etiam causa fuit, ut cùm infelix Huberus
novi dissidij flammās hac ipsa in Academia superi-
orib. annis excitaret, ad illas restringendas, Mylij
potissimum opera videretur commodissima. Quin-
cū ante quadrienniū ex beato magni illius HUN-
NILobitu, locus primus in Collegio nostro, Pastora-
tus verò in Ecclesia vacaret: Serenissimus Elector
CHRISTIANUS II. Dominus noster clementiss. MY-
LIUM ex Jenensi Academia postliminiò quasi hūc
revocatum, nostraq; Ecclesiae Episcopum sive Super-
intendentem constitutum, voluit. Cui cle-
mentissima vocationi locum etiam ipse debita a-
nimi subjectione relinquens, redijt huc Anno
1603. mense Octobri: sed non sine magno Jenen-
sum mærore, quin & ipsius Academia lu-
ctu. Caterū hūc reversus, quanta cum di-
gnitate, Dignitatem sibi oblatam sustinuerit,
quid opus est, apud vos præsertim, pluribus ver-
bis exponere? Quantum prudentiæ & acuminis
in dan-

in dandis consiliis: quantum animi & libertatis
 in docendo ac disputando: quantum autoritatis
 in gubernanda Ecclesia, ipsi fuerit, me etiam ta-
 cente rectissime novistis omnes: & ita novistis, ut
 tanto viro vos tam subito orbatos esse, mecum ex
 corde ingemiscatis potius, quam longiore merito-
 rum ipsius preconio vulnus quae si refricari, dolo-
 rem augeri, damnum amplificari velitis.

Proinde his & aliis quamplurimis, quae
 dicenda essent, praeteritis de beata potius ipsius ex
 hac vita migratione dicenda quaedam viden-
 tur: ut vel ipsi Sycophantae intelligant, vitam ita
 laudabiliter actam, non minus laudabili fine esse
 conclusam.

Cum ergo superiore proximo mense Majo,
 & quidem ipso Ascensionis Festo ultimam con-
 cionem (quam & ante annos viginti tres Au-
 gustae ultimam indixerat) hic habuisset, & altero
 die post, ordinariam in Schola lectionem conti-
 nuasset, aliquot diecularum ferias ab Auditorio
 petijt: sibi enim ita re urgente aliquò excurrendum
 esse: à reditu ad operas etiam suas rediturum. Sed
 eheu, quam nescia mens hominum fati sortisque fu-
 tura est? Nam ille quidem nusquam excurrit: sed
 calculo renum domi attentus, lecto affigitur: acce-
 dit

dit febris maligna, quae omnem Medicorum industriam respuens, intra paucos dies effecit, ut ille vitâ excederet: eo ipso die, nempe 28. Maij, quo coniux eiusdem prior, violento mariti sui raptu exterrita extinguitur.

Cæterum, duo potissimum sunt, quae circa extremum vitæ actum, etiam spectata magnanimitatis viros, de gradu interdum deicere solent: Doloris acerbitas: & mortis metus. Iam si quisquam alius illius fuit fortitudinis, ut neq; doloris acerbitate: neque mortis metu frangeretur: certè MYLIO nostro hæc laus jure competit. Nam cum per dies benè multos, acutissimos dolores, calculi præsertim, perpeffus esset: nunquam, tamen in vocem impatientia alicujus indicem, erupisse auditus fuit. Mortem autem ipsam usque adeò non exhorruit, ut non modò illud Augustini aliquoties ingemina-ret. Illius est nolle mori, qui nolit ire ad CHRISTUM: sed & mortem propius adventantem lato quasi vultu exciperet: vel certè majore eam desiderio expeteret: quam mors ipsa eum petere videbatur. Cujus rei illustrem & satis apertâ significationem edidit, quòd Feria tertia Pentecostes, finita concione illa solenniore, convocatis uxore, liberis, amicis, collegis Theologis,

H

& Mi-



Et Ministris Ecclesia, orthodoxam fidei confessionem
 magno spiritu edidit: peccatorum veniam à DEO
 humilimè petijt: pro beneficiis planè singularibus
 in se collatis, gratias divine bonitati egit devotissi-
 mas: Sacramentum corporis Et sanguinis CHRIS-
 TI Servatoris, magna divine Majestatis vene-
 ratione suscepit: pacis Et Concordiæ studium nobis
 Collegis: ipsum verò afflictæ Ecclesia Et Academia
 statum DEO piis precibus commendavit: Et tan-
 dem singulis ac universis extremum valedixit:
 biduò post placidè in DOMINO obdormiscens: tri-
 ste sui desiderium apud nos relinquens: Et qui-
 dem tantò tristius: quantò alieniore tempore ipse
 hinc evocatus esse videtur. Nolo denuò in memo-
 iam vobis revocare, superiorum annorum quatu-
 or cladem longè tristissimam, quam nostra acce-
 pit Ecclesia Et Academia. Major enim Et a-
 cerbior ea est, quàm ut vel verbis satis amplifica-
 ri, vel lachrymis deplorari, vel ullo remedio sa-
 nari queat.

Consulite vos ipsi in medium Patres Academici,
 conferte vota Et suffragia vos Senatores, vos cives
 o angulos percurrite, num fortè successore in
 HUNNIO, GESNERO, RUNGIO, MYLIO
 parem, Et non hominum opinione, qua sapius ex
 affectu

*affectu profecta turpissimè fallit & fallitur: sed
 donorum aequalitate parem inveniatis: talem
 dico successorem, qui vulnera nobis inflicta sana-
 re, mororem ex illorum jacturà conceptum seda-
 re, qui voluntate, prudentià, usu rerum, gra-
 vitate, autoritate aptus sit ad ea non tam ge-
 renda, id quod fortè multorum aliorum esse que-
 at, quàm rectè laudabiliterq; sustinenda & ad-
 ministranda munia, quæ ex tantorum lumi-
 num obitu jam vacant, & successorem multis
 gemitibus desiderant. Hic Te jam ò CHRIS-
 TIANE Elector mæsta intuetur Ecclesia: pulla Te
 respicit Academia: & ut rebus nostris afflictis
 consulas, anxie rogat & obtestatur: atque ò uti-
 nam læto prosperoq; successu! Gravis hæc est, Au-
 ditores, & satis ardua deliberatio, quæ nisi divi-
 no regatur numine, vix lætum sortietur exitum:
 Proinde conjunctis votis ac suspiriis, cælum pul-
 sabimus auxilium ex altis quærentes, sic ingemif-
 cemus cum Davide:*

*O æterne DEUS, fons, autor & largitor
 omnis boni, qui benedixisti quondam terræ tuæ,
 qui avertisti captivitatem, Jacob, qui remisisti
 iniquitatem plebi tuæ, qui mitigasti omnem
 iram tuam & avertisti te ab ira indignationis
 tuæ*

Psal. 84.

Psal. 80.



tua: Reminiscere miserationum tuarum, & mi-
 Pfal. 25. sericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt: Desi-
 Pfal. 103. ne ab ira tua: neque secundum iniquitates nostras
 retribue nobis: sed converte DEUS salutis nostræ,
 Pfal. 80. & averte iram tuam à nobis: DEUS exercitu-
 um, convertere, respice de cælo & vide, ac visita
 vineam tuam & perfice eam, quam plantavit
 dextera tua, & quam tibi elegisti: Circunda eam
 Matth. 9. sepe & scuto tuo, ut palmites ejus transplantati
 Luc. 10. & purgati copiosum tibi ferant fructum: extru-
 de porrò operarios in hanc messem tuam, & cum-
 primis cum nobis largire Pastorem, qui non deglu-
 bat, sed pascat oves pascuæ tuæ: qui retineat for-
 mam sanorum verborum: qui regat fideliter Ec-
 2. Tim. 1. clesiam, quam sanguine Filij tui redemisti: qui,
 Actor. 20. ut uno verbo dicamus omnia, dispersa colligat, la-
 psa erigat, depravata corrigat, infirma corro-
 boret, turbulenta componat, pacem & Con-
 cordiam astruat, foveat, conservet: Ita
 eveniat DEUS Pater: ita eveniat Domi-
 ne JESU: Ita eveniat Spiritus Sancte
 DEUS unæ & trine, DEUS bene-
 dicte in secula.

AMEN.

Zc 7802

OK

ULB Halle 3
001 608 231



[Faint handwritten text]

mk





ORATIO PA
De
Vita, rebus gestis
obitu

Magni illius
DN. GEORGE
DOCTORIS ACP
Academiae VVitebe
rij: Ecclesiae verò
Superintende
neralis.

RECITATA VV
cum ab Ordinibus R
luctu justij
Collegæ & amico de
parentare.
Autore

LEONHARTO
SS. Theologiae Do
fessore pu



VVITEB

Typis Cratonianis: Sumptibus Zach
ANNO GRATIAE

